

D e s a t i r i c a p o e s i Q. H o r a t i i F l a c c i
c o l l a t a c u m s a t i r i c a p o e s i
D. J u n i i J u v e n a l i s.



Dreißig Ansichten von
der Stadt und Umgebung von

Wiesbaden mit dem Städte-

atlas von Hessen.

— — — — —



...tum admodum rapiens, dumq; omnis sollicitus annos fidelium suorum impinguo tunc
est extenuans, etiamq; pro multis, oblongis & obv. frontis, sedemque omni sapientia
adversus eundem annos usumq; custosduorum obitum fidelium amicorumq; te obdidit, omni
memoria rati, ali; cuncte pietatisq; - justitia Iustitiae non obsecunda misere, quo
obitum fidelium sentit, restituenda superimpiorum societatis memorem le mire modis
restituere. Veneratio qm; ergo in suis amicis fidelibus amicisq; & aliis
ceterisq; sibi natis, amicisq; in aliisq; credibili ratione, qm; ratione, cogitare
convenit, qm; ratione, qm; ratione, qm; ratione, qm; ratione, qm; ratione, qm;

Gens Romana, quae per damna caedesque ab ipso ferro duxerat opes animumque,
Horatii aetate longe alia erat, ac Scipionum temporibus. Mores perdit libidinesque
effrenatae de die in diem latius serpebant solventes omnia societatis vincula omnemque
nexum inter civitatis membra. Italia latronum plena, sanguis civium nobilissimorum
bellis longinquis erat effusus; homines indignissimi potiti erant muneribus, quibus ante
viri dignissimi fungebantur; pauci multorum facultatibus creverant et Augustus, unicus
terrarum dominus, omnem civitatis auctoritatem populique maiestatem in se ut in fo-
cum contulerat. Romani sub Divo Augusto viventes alio sanguine exorti esse videban-
tur ac patres maioresque, quum omnino aliter cogitarent atque sentirent. Maxima pars
civium nobilium, qui rempublicam bene norant maximique aestimarant, proeliis aut ce-
ciderant aut exiliis perierant. Alii Principis beneficiis, donis, muneribus capiebantur;
alii, testes crudelitatum tam longinuarum, persuasos sese habebant, patriae nullam
salutem esse relictam, nisi unius imperio patienter sese submitterent. Illa loquendi
agendique audacia, qua veteres Romani erant insignes, cesserat animo versute dicenti;
agili facilique. Reverentia, quae Principi praestabatur, moderatio, quae eius praesen-
tia iniiciebatur, decor, qui in eius domo animadvertebatur, summa clementia, qua de
eius persona factisque commemorabatur, ut in pauca conferam, vitae elegantia, quae
possebatur, quaeque etiam praebebatur, maiori civium parti communicata erat et à vi-
ris honoratissimis atque dignissimis ad humiliores descenderat. Augustum Romanorum
libertatem quam minime coereuisse, senatores sibi omnino pares posuisse omnibusque
adulatoribus fuisse inimicissimum, verum est. Idem, postquam summae rerum praeesse
coepit, non tantum tempa spoliata atque collapsa restituit, verum etiam urbem adeo
reddidit pulchriorem, ut vere posset eloqui, se exstruxisse urbem marmoream, quam
lateritiam accepisset. Ante eius imperium raptore homicidaeque in publico armati in-
cedere andebant, quin immo homines sceleratissimi erant coniurati contra civium libe-
tatem, vitam, remfamiliarem; sub eius autem imperio tutus bos rura perambulabat, pa-
catum per mare nautae volitabant; culpam poena premebat comes, licentiae ordinant;



rectum evaganti frena iniiciebat bonus Romulae custos gentis, culpas emovebat veteresque artes revocabat. Luxuria vero et profusio, avaritia ac tenacitas, damnatus ambitus, libido et intemperantia haud facile eradebantur, quoniam earum fontes, divitiae, opes, rerum abundantia non poterant obstrui. Verumtamen omnia illa vitia minimam habebant vim ad iustorum securitatem imperique incolumitatem, quum damnum inde emergens sentiret scelestus quisque.

II. Q. Horatius Flaccus, satirarum, sive ut ipse eas nominavit, sermonum scriptor, natus erat Venusiae, in finibus Apuliae et Lucaniae, sexto Idus Decembris, **L. Cotta** et **L. M. Torquato** coss. Eius pater, libertinus, qui nomen Horatii, patroni sui gerebat, villam suam parvulam vendidit pretioque accepto munus exactionum coactoris emit. Puerum Flavii scholam frequentare patri displicuit. Orbilii vero Pupilli, grammatici Beneventani, disputationibus de eloquentia Horatius iuvenilis interfuit; sed patris prudenti consilio proprioque desiderio commotus ductus est Athenas, ubi ad pedes principum sapientiae iudicium eius subtilius redditum, ingenii vigor aductus animique suavitas exulta est. Usque ad annum vigesimum sextum gavisus est hac vita faustissima, quum Caesar à Bruto confossum animam exspiravit. Undique exinde colligebantur patriae amatores et ad rempublicam defendendam et ad semet ipsos tuendos ab ira hostium, qui Caesaris necem erant ulturi. Brutus ipse iusta confusus causa in Graeciam proficiscitur, nobilissimorum Romanorum filios, qui studiis ibi incumbebant, dictis suis incensum. Horatius statim sequitur Brutum in Philipporum campum, quo Octavii armis victricibus magnus fortisque ultoris animus fractus est. Qua clade dira accepta Horatius ferrum scutumque abiecit Romamque reversus venia impetrata scriptum quaestoricum comparavit, satiris carminibusque scribendis incubuit ac primo Maeccenati, mox Augusto in gratiam insinuatus non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. Jam in prima, multo autem magis in secunda perspicitur satira, quo animo poeta ductus sit. Carpit atque castigat vitiosos et stultos, semper tamen motus consilio admodum laudabili, ut eos, in quantum fieri potuit, ad consilia saniora revocet aut saltem alios ab eiusmodi moribus effrenatis vitaeque insipientia deterreat. Splendidissimus fuit triumphus, quem Horatius egit ob animum liberum fortemque atque ob genus venuste dulceque scribendi. Multi quidem, qui petitos sece sentiebant, vultu truci adspiciebant eum dirasque eius capiti imprecabantur; civitas vero licet corrupta moribusque depravata multis tamen viris iustis gaudebat probisque, quibus ex animo scriperat, quare illorum proborum adeptus erat intimam amicitiam. Judicium agere severum de tempore suo penes Sabellum erat, sed respuit neque breve vitae spatium adsidue irascendo et semper reprehendendo atque castigando amarum sibi reddere voluit. Plus contra bilis inditum erat Juvenali, qui implacabilis satiricus more modoque Nemesios flagellantis scelestos prosequebatur Romanos, nullam agens clementiam, nec ulli indul-

gens improbo, ulti vindicque terribilissimus, cuius ipse risus minitatio atque maledictum. Horatium, pauperum sanguinem parentum, C. Cilnius Maecenas eques, vir magni ingenii rebusque agendis promptus et providus, consuetudine virorum doctorum, poetarum praecipue, magnopere delectatus, ab Augusto ob merita amatus multisque donis ditatus, recepit spectatum atque commendatum inter amicos et, herede Principe nuncupato, preces addidit has: Horatii Flacci ut mei esto memor! Praeterea poeta habitu corporis brevis fuit atque obesus, qualis a semet ipso in satiris describitur et ab Augusto hac epistola: „Pertulit ad me Dionysius libellum tuum, quem ego, ne acusem brevitatem, quantuluscunque est, boni consul. Vereri autem mihi videris, ne maiores libelli tui sint, quam ipse es. Sed si tibi statura deest, corpusculum non deest. Itaque licebit, in sextariolo scribas, quo circuitus voluminis tui sit ὀγκωδέστατος, sicut est ventriculi tui.“ Nec sine magna funeris pompa Augustus amici favillam humari et condi iussit sub radiebus montis Exquilii iuxta Maecenatis tumulum.

III. Poeta ergo, ut commemoravi, diligentissima educatione fruitus, iam mature inter homines versatus, amicus optimatum, de aliorum vitiis delictisque longe aliter iudicabat ac soliti morum magistri. Anima eius candida erat humani generis amicissima, reverebatur mores bonos probosque, quia fontes verae felicitatis. Lugens coniicit oculos in meliores dies prioris aevi et invehit in educationem luxuriosam temporis sui; magna autem indignatione fertur in cives aedificandi cupidissimos, agriculturae vero negligentes. Sed satiricus noster, amicus summae simplicitatis nudaque veritatis, gaudet et animo hilari serenoque, qui facetiis salibusque praeditus ridicula cuiusque rei facilime arripit. Huc accedit, quod homines, quibuscum erat versatus quosque bene norat, eum in aliorum errores facilem reddiderant atque indulgentem. Quam facilitatem auxerat sapientia una cum animo sibi conscio, se esse hominem, à quo nil humani alienum. Adde tempora, quam vim in eum exercuerint! Multa eloqui Sabellus erat impeditus, quare haud mirum, si in eius satiris potius frigidum derisorem comicumque, quam ardenter et praecipitem vituperatorem, si prius comitem bonum et emunctae naris hominem, quam rigidum morum satellitem et severum castigatorem conspicis.

IV. Nullum fere generis humani vitium invenies, cuius in eius satiris non fiat mentio. Partem ut adsignatum accipient, procedunt avari, superstitionis, gloriae avidi, calumniatores, libidinosi, heluones; quorum neminem obiurgatione mordet nec Juvenalis more modoque mordaci veluti ferro caedit atque exagit, sed deridet, lacessit. Maximas epularum impensas et profusionum perniciosissimarum dannarum ob oculos positurus ira nec exardescit; nec furit neque effervescit, sed adducit lectorem ad heluonum splendidissimas epulas: apponuntur pavones assati, lupi inter pontes Tiberinos capti, nulli trilibes; congeruntur alia fercula, quae detexit taedium, vanitas. Quibus opponitur, ut vitam luxuriosam insectetur et exponat frugalitatis commoda, mensa tripes

pauperis Ofelli, qui amico proponit gallinam hoedumve. Si est in animo, vias mon-
 strare perniciosas et illicitas, quas avarus corripit, ut fiat dives, bene cavet, ne rem
 serio ducat, sed facete introducit Tiresiam colloquentem cum Ulysse, quorum dialogo
 omnes malae artes et machinationes captatorum subdolorum denudantur. Si cives vult
 edocere, nemini esse causam, quare sapientia superbiat, catus vitat strenue docendi
 genus, sed per Damasippum exponit Stoicorum dogma, omnes homines insanire. Has
 hisque similes vias Horatius plerumque eligit. Si surrexisset flagello fustique armatus,
 quid profecisset? Catones enim, Cassii, Bruti, veteres morum satellites, diem obie-
 rant supremum. Romani Horatii aetate in vitiis committendis apparent stultis ineptis-
 que similiores quam animi maligni ac perniciosi. Leges ab Augusto de tuenda repu-
 blica datae et curae severitas, qua sustentabantur, omnem suppresserant evagationem,
 quae alii populo perniciei esse potuisset. Romanis ad evagationem propensis nolenti-
 busque minime impediri, quominus libertate civili fruerentur, atque ridiculos saepissime
 se gerentibus iste satirarum color erat aptissimus, quoniam illud à poeta petebatur
 latus, cui vulnus infligi potuit. Ita Horatius admodum ingenue aperiebat, quod Roma-
 ni libentissime totum terrarum orbem, et si fieri potuit, semet ipsos potissimum cela-
 vissent. Cives quidem suos nec condocet, nec rubore confundit (ad utrumque aequa
 inhabiles) verum tamen optime aperit, eos non esse iusti modi, qui viri sapientis oculi
 effugiant atque de fine modoque actorum fallant. Fortasse et Horatio sua fuerunt
 causae, quare personam severissime reprehendentis cum lascivo Satyro commutaret.
 Personas plerumque inducit colloquentes et quasi ex abrupto colloquium interrumpit
 ipse seque proiicit illudentium sagittis. Quem vero fugit, eiusmodi artibus argutissimis
 poetam uti ad semet ipsum tuendum? Vitia leni stringit telo, scelestos sagittis suis
 mavult vulnerare quam trucidare; contra tamen illa, quae genti humanae bonisque mo-
 ribus sunt opposita, diutius oppugnat atque vehementius. Civis enim tum temporis civi,
 nobili ignobilis, diti pauper par esse appetebat. Qui optabat, ut domus laudaretur be-
 ne sita et supellex domino digna haberetur, eam columnis circumdare intusque mensis
 è cedro factis exornare coactus erat. Qui epulas lautas atque splendidas erat paraturus,
 gallinas ex Phrygia, thunno Chaledone, muraenas Tartesso, lupos Pessinunte appor-
 tatos mensis imponebat, alioquin enim incultis habebatur moribus. Virum nobilem ad
 coenam pavone carentem vocare non audebat ipse Cicero, qui neque domo columnis
 ornata neque mensa è cedro facta carere posse putabat. Nec Maeenias nec ceteri no-
 biles sub Augusto Caesare mores consuetos exuebant, quin immo facilitate atque nimia
 vitae elegantia multum addebant, ut morum leges adaugerentur; neque mirum, si in
 multitudine adeo mixta permulta errata in bonos mores occurrerant. Et liberti, nuper
 domini addicti, et fortunae filii è provincia advecti, ambulatores quoque otiosi in usum
 familiarem et consuetudinem virorum nobilium atque eruditorum sese insinuabant. Qui



insipientes, fortunis suis efflati, aut prodigi erant aut avari; diserti praeterea cupiebant videri artiumque praestantissimarum periti. Quomodo istiusmodi stultorum cohors Horatii animum bilemque commoverit, est in aperto. Aufidii Lusei, insani scribae, praetexta, latus clavus prunaeque vatillum deridentur; carpitur luxuria Nomentani, qui, simul accepit patrimonii mille talenta, urbis piscaiores, pomarios, auenpes, unguentarios, scurras cum fartoibus ad se statim evocat, patrimonii enim taedet, quapropter coniicit in flumen rapidum sive cloacam. — Catius, ne gallina malum responset dura palato, vivam docet musto mersare Falerno, quo tenera fiat, Nasidiens honoratus simul et beatus, quod Maecenatem eiusque umbras hospitio exceptit, ille importune garrulus atque loquax, Horatio tantum nomine notus, alii stulti insanique, quibus urbs secebat, quid aliter ac homines fatui, qui elegantissimis peritissimisque adnumerari cupiebant? Omnes erant dignissimi, qui deriderentur à poeta, qui hac stultitia carens saepissime illis ab insanis molestias trahebat. Profanum vulgus odio habebat et arebat, haud ignorans, leges sine moribus esse vanas, quare eradebat epidinis pravi elementa et tenebras mentes asperioribus formabat studiis.

V. Praeter illud stultorum genus Horatius in primis tela sua coniicit in Stoicos. Mirum quidem istud, quum Zenonis schola et morum disciplina haudquaquam dignae essent derisione atque contemtu, sed ad vitia eradenda, probos mores iuventae et Romulae genti decus omne dandum multum contulissent. Ex quo enim illa doctrina per Diogenem, legatum Atheniensem, Romae obtinuit aditum, magnum tulerat ad sensum, quem Scipio Africanus, Laelius, Q. Tubero, Cato iunior, Marcus Brutus aliquique viri spectatissimi sustentaverant. Mores probi, modesti sanctique, quos ingenui docebant Stoici atque peragebant, fidem, pudorem virtutemque neglectam servabant. Nil hilominus illi optimi Romulae custodes gentis à poeta deridentur. Quare hoc? Romanii, respondeo, Horatii aetate peritiores facti erant rerum humanarum; optimos quippe progressus fecerant in literis; Stoici vero eodem stabant gradu, quo antea. Ingenia iam minus aspera, ingenui vituperantium pauciores; mores humanissimi, comitas cum facilitate, magnis ferebantur laudibus. Itaque Stoici, ut tum incedebant, longis promissisque barbis, laceris palliis, corpora squalida, homines omnium egeni et tamen sibi persuadentes, sapientem solum esse liberum, magnum, regumque regem, Romanorum mentes animosque à se avertiebant; neque mirum, si amicii comitisque Maecenatis risum moverent. Horatius enim tenebat praecepta philosophiae, quam unice veram habebat ad feliciter beateque vivendum, diligebat virtutem, odio verum prosequebatur illam asperam duritiem, quam Stoici tum temporis ipsam virtutem dueebant; vivebat parvo contentus, sed persuasum se habebat, et aliter bene posse vivi, nec ulli vertebat vitio, si aliam calcaret viam, dummodo fortiter proboque animo; permagni aestimabat secretum iter et fallentis semitam vitae, nec valle Sabina permutabat divitias operosio-



res, verum etiam optime sciebat, mentem animumque hebetari abstinendo usu conveni-
tuqe hominum et vitam bene miscere primam esse sapientiam. Non fugiebat atria
coenasque procerum nobiliumque, optime tamen cavebat, ne fieret eorum servus, sem-
per paratus ad donata ponendum, si vitae redderetur priori. Gnaviter enim agebat id,
quod aequa pauperibus prodest, locupletibus aequa, aequa neglectum pueris senibusque
nocebit. Homines ridiculous magis quam malitiosos esse putabat; sibi res, non se re-
bus subiungere conabatur. Eiusmodi praecepta praeclarissima eluent ex pluribus eius
sermonum; quid enim aliud vult iste sermo, qui incipit: „Qui fit, Maeccenas, ac Ro-
manis habendi cupidine laborantibus sub imagine avari ob oculos ponere, fortunam extra
se querere insani esse atque insipientis? Illo sermone: „Omnibus hoc vitium est
cantoribus“ ... quid aliud commendat poeta ac veniam et indulgentiam, reprehendens
eos, qui, quum ad sua ipsorum vita conniveant, in alienis videndis acumine oculorum
valent? Vita ambitione misera gravique solutorum num potest melius pulchriusque de-
scribi, quam sermone, quo dicit:“

Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum
Multos saepe viros, nullis maioribus ortos,
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos.

Poetae animus quam contentus conspicitur sermone illo:

Hoc erat in votis: medusagri non ita magnus,
Hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons.

Paulo inferius:

Maia nate,
Pingue pecus domino facias et cetera praeter
Ingenium . . .

Quemcunque sermonem evolveris, plurima bene, pulchre ac praeclarè praecepi-
untur lectori, libido sedatur, animi tranquillitas adaugetur.

VI. Qualis animus in Venusini sermonibus, talis quoque spirat in eius epistolis,
quae continent illud aureum dictum, quod acclamat **Avistio** suo: **Vive contentus sorte**
tua! Idem persuadet **Bullatio** amico, qui mutando coelum et trans mare currendo ani-
mi curis et aegritudini mederi posse sperabat, dicens:

Tu, quamecumque deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu, neu dulcia differ in annum,
Ut, quoicumque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas: nam si ratio et prudentia curas,
Non locus effuse late maris arbiter, aufert;
Coelum, non animum mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia: navibus atque

Quadrigit petimus bene vivere. Quod petis, hic est,
Est Ulubris, animus si te non deficit aequus.

Cum Quintio, qui bene sciret, quantum distaret a viro sapiente bonoque,
servere agit, dicens:

Tu recte vivis, si curas esse, quod audis.
Jactamus iampridem omnis te Roma beatum;
Sed vereor, ne cui de te plus quam tibi credas,
Neve putas alium sapiente bonoque beatum;
• Neu, si te populus sanum recteque valentem
Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis.

Vox libera, quae mittitur ad amicos, digna est viro impavido, qui antiquam reipublicae libertatem non exuit. Virtutem amicam, sapientiam comitem elegit fidelem, quam plurimis prodesse cupiens. Itaque, si respicimus, de Horatii poesi satirica hoc ferendum est iudicium: Eius sermones sunt satirae Lucilianaæ *) et quidem vere comicæ. Sabellus irridet, saepe iocos, raro acerbos sales miscet; placide et leniter influit in animos, suadet ridendo, humili sermone ludens id agit, ut stultos saltem insipientiae pudescat.

VII. Magna vero intercedit differentia, si Horatii satiricam poesin conferimus cum satirica poesi D. J. Juvenalis, qui in primis castigavit Romanos seculo primo post

*) C. Lucilius, Siniuessanus, anno 606 u. c. natus et 651 mortuus, eques R. Cic. Or. I. 16. Hor. S. I. 4. 6. Satirarum, quarum XXX libros scripsisse traditur, nec ulla integra et illaesa ad nostrum pervenit tempus. Fragmenta vero, quae summa diligentia colligit Franciscus Dousa (Lugd. Bat. 1596. 4.) adeo sunt multa, ut ex iis linguam maximamque partem et poetae animum cognoscamus. Fuit comis et urbanus, teste Horatio, et limatior quam rudis poetarum seniorum tota turba. Cicero poetam appellat hominem doctum et perurbanum. (De orat. II. 62.) Lucilius, facetus emunctaeque naris homo, more priscorum commodorum quemque poena dignum arripiebat multaque cum libertate notabat. Quantum ex fragmentis elucet, nominatim aripuit in satiris Q. Opimum consulē, Q. Caecilium Metellum, P. Rutilium Lupum, M. Carbonem, alios. Vere itaque Horatius de eo iudicat dicens: Universum populum Romanum ab illo tributum arreptum probrosisque carminibus esse laceratum. Fuit acerbus rigidusque morum censor, de quo Juvenalis: (S. I. 165.)

Ense velut stricto quoties Lucilius ardens
Infremuit; rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant praecordia culpa.

De Lucilii versibus Horatius ingenue fatetur, eos esse duros, quia limam non adhibuerit, multa esse tollenda, verbis latinis graeca esse mixta. I. S. IV. 8.

Christum natum, paulo ante **A. Persius Flaccus**, sed ingenio nervisque minor **Juvenalis**, sub **Claudio Druso caesare natus** (nón ante annum **XLII**) et sub **Hadriano mortuus** (circa annum **CXXI**) in omnibus fere mss. **Aquinus** à patria cognominatus, cui ipse non repugnat, (**S. IV. 519.**) satiras scripsit tragicas cómico mixtas, **XV** numero. Ex poetae vita pauca quidem ad nos pervenerunt, sed vere dixit **Lessingius** noster: „Das Leben eines Dichters sind seine Gedichte.“ Aequalis fuit **Martiali** (epigr. ad **Juvenalem**, **XII, 48.**) **Statio**, **Quintiliano**. **Libertini** locupletis, incertum, filius an alumnus ad medium fere aetatem more tum solito declamavit. Fecerat quosdam versus in **Paridem I**, pantomimum, quem **Domitianus** tertio imperii anno interfici jussit; longum per tempus non audebat satiras tradere publico, sed multo post pluribus recitationibus eas promulgavit magno cum applausu. Quum vero hos versus:

Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos

Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?

in histrionem quendam novis scriptis infercisset atque **Paris II**, pantomimus, qui tum temporis apud **Hadrianum** imperatorem plurimum valebat, illis se petitum sentiret; princeps **Ganymedis** sui quærela inductus **Juvenali** per speciem honoris praefecturam cohortis in extrema **Aegypti** parte obtulit. Verum non multo post angor et taedium eius vitae finem posuerunt. Indignabundus tangebat mores turpes aevi sui, in primis tempora **Domitiani** tyranni, cuius post necem scribebat. Audiamus ipsum:

Experiar, quid concedatur in illos,

Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina. (**Sat. I. v. 170.**) Illa differentia, quae intercedit **Horatii** inter satiras et **Juvenalis** pro temporum varietate et in moribus immutatis et in vita sensuque Romanorum conspicitur, ut, si Aquinatis aetatem ob oculos nobis duxerimus, miratione minus moti dicturi simus: Uterque poeta rem bene gesit. Utrique virtutem unicam vitae beatae ducem habenti magno erat gaudio, quum patriæ bonum servaret civem sive cogeret seclere desistere. Uterque id propositum animo habebat, vitiorum seclerumque foeditatem ob oculos ponere et sapientiam animique ingenuitatem commendare. **Horatius** palam prōficitur:

Insuevit pater optimus hoc me,

Ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando.

Alter, comiset urbanus, ridicula vitia carpendo, alter, in satira acerrimus, haud sine nervis primores populi arripiendo rei Romanae cives quam optimos redonare studebat.

VIII. Augusto imperante, ut utar **Horatii** verbis, stabat **Capitolium** fulgens triumphatisque **Medis Roma iura** dabat; aberat bellum lacrimosum miseraque fames, gentis enim Romanae pater atque custos totum terrarum orbem aequus regebat, etiamsi multis in rebus non laudandus pronum tamen in omne nefas et in luxuriam fluens se-

culum gravibus severisque legibus coerebat. Utinam successissent imperatores digni! Verum autem vero successerunt longo ordine imperatores, qui tantum aberant, ut ruen-tis imperii rebus succurrerent, ut (acerba fata Romanos agebant) stupris, caedibus, ra-pinis ruinam ducerent populi praeclarissimi cumque suo populo totas gentes in perni-ciem traherent. Primus adeptus est imperium Tiberius crudelis, quanto intentus olim ad publicas curas, tanto occultos in luxus et malum otium in Capreis resolutus. Suc-cessit Caius, corpore aeger, mente labefactatus, nequitis ebrietatique deditus. Hunc Claudio mente captus, hunc subsequutus est Nero, saevitia intestabilis, qui insana ad-dens turpibus antecessores flagitiis et infamia praeccurrebat longe. Galba, Otho simul cum Vitellio vix menses octodecim orbi terrarum imperaverunt. Sub duobus Flaviis meliora redierunt tempora, quibus Juvenalis studiis suis incumbebat. Sed Vespasianus una cum Tito ideo Romulae genti neglectam virtutem et decus omne reduxisse videba-tur, ut Domitianus, omnium nequissimus, omnes flores recens natos stringeret atque conculcaret. Tam multos tyrannus effera-ta quadam crudelitate cives interemit, ut in prodigio haberetur, si quem in urbe offenderes senem nobilem et Patricium. Nihil mi-rum, si sub eiusmodi principibus improbis et scelestis mores inverterentur diique neg-lecti multa mala ferrent in progeniem vitiosiorem. In posteritatem virorum clarissimo-rum a tyrannis nequissimis saeviebatur. Aut in exilium mittebantur aut necabantur viri iusti atque praeclari a principibus, qui nihil pensi habebant, quin praedarentur quo-cunque modo bona vivorum et interactorum. Ut immanes belluae propinquorum san-guinem lambabant seque ad clarissimorum civium strages caedesque aecingebant. Po-pulum Romanum animus agebat servilis, et nobiles et humiles oppresserat marcor som-niculus. Cives in obsequia plus aequo proni nutum instantis tyranni horrescebant, adulabantur humi prostrati iis, qui Principis favore fruebantur, humillimeque sese de-mittentes dies noctesque superbos libertos frustra exspectabant. Ad pecunias quascun-que repetundas tacebant, quinimmo Caius Caligula iustum honorum dominum palam sese declarans quemvis civem ditem cognoscebat inimicum; domibus, villis, rebus om-nibus potiebatur et, o mores inversi, posteri Scipionum fortissimorum et Cassiorum rem suam indefensam direptioni permittebant. — Insana praeterea accusandi rabies Romanos agebat civitatemque conficiebat; nemo enim à delatione tutus, ipse delator de-latorem timebat. Multi, quos inter et causidici, quum ex delationibus quaestum et Principis gratiam provenire perspicerent, relieto foro, ad delationes turpissimas se ac-ingebant. Praeter illam patientiam servilem impudentissima quaque atque audacissi-ma admittebantur. Scelus cumulabatur sceleri: Bacchanalia celebrabantur, stupra pro-miscua ingenuorum et faeminarum. Fronte invercunda nubebant: Nero Doryphoro li-berto, Neroni Sporus. Matronae nobiles Iudis scenicis arenaque foedabantur sive in-venationes et pugnas theatrales descendebant. Homines vilissimi, ex humili fortuna ad *

summas opes artibus sordidis proiecti, maiore fruebantur gratia, quam viri honesti; non solum munera edebant gladiatoria suis impensis, verum etiam conciliato sibi populi favore occidebant, quemcunque vellent. **I**nprobi et versuti, qui vitium in virtutem vertebant, scelerum ministri, per quos nigerrima protinus alba, recta prava, primoribus erant acceptissimi. **D**ementia in voluptatibus quae et quanta! Lautissimas splendidissimasque coenas parabat et dives et qui tenui erat censu, nulla habita facultatum ratione cibus, quo maiore comparabatur pretio, tanto suavior. Pro mullo quinquelibri trecenti solvuntur nummi, pro sertis unguento imbutis, quae uni convivio, ad quod Nero ipse se invitavit, adornantur, centum millia, pro coronis rosaceis, que alii convivio tempore hiemali celebrato ex Aegypto apportatae sunt, ultra centum millia. **V**itellii patina, ingentem propter magnitudinem Minervae scutum appellata, gestat cupedia, pretium ducentorum millium excedentia. **C**aius unico convivio heluatur trecenta millia, idem bibit uniones vino dilutos. **P**alatia erant amplissima, tecta aureata, parietes, laeunaria, paymenta marmore renidebant rarissimo. Totam per Italianam villa attingebat villam, cuius ampli fines, horti, piscinae, silvae agricolationi magno erant impedimento. **I**ncoleae terrae frugiferae far alimentaque alia è regionibus alienis invehere cogebantur. **P**icturis pretiosissimis statuisque coenacula, atria, porticus exornabantur; quaecunque vasa mensalia auro, culinaria argento erant confecta. **P**ocula argentea lanceesque non ponebantur, nisi elaborata erant ab artifice quodam antiquo atque celeberrimo. In populis aureis gemmae, onyches, smaragdi conspiciebantur ad pretium adaugendum; pro calice murrhino solvebantur novem millia; currus splendebant ebore, Neronis ebore et auro; **P**oppaeae mulorum pedes soleis aureis muniti erant. Non solum homines vilissimi ex populi faece, sed etiam qui summis fungebantur honoribus, principes ipsi, dementiam honori, summum dedecus gloriae sibi ducebant. Maxime rudes et effrenati superbiebant sanctissima quaeque illudentes, verecundissima conculcantes.

IX. Moribus ergo corruptis ae vetere disciplina iam tandem penitus deleta, nihil mirum, si principes evadebant tyranni nequissimi, quum gens ipsa eos sibi pararet. Verumtamen probitas antiqua, robur ac dignitas apud singulos viros probos et sapientes nunquam omnino evanuit. Tales virtutis verae satellites, vitiis et flagitiis hominum nequissimorum exacerbati ac dolentes, gentem ante magnis virtutibus excellentem à tyrannis foedissimis deprimi, exagitabant direque flagellabant nefarios, in primis **D. J.** Juvenalis, prisci aevi iustis ac tenacibus propositi viris simillimus, qui, vita et pectore purus, temporibus illis omni scelere infectis et adulacione sordidissimis vivebat rigidissimus virtutis satelles. Praecepta huius poeta quam sublimia! Mens quam vere ethica et paene christiana eluet verbi gratia versibus hisce:

Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
Permitte ipsis expendere numinibus, quid

Conveniat nobis rebusque sit utile nostris.
 Nam pro iucundis aptissima quaeque dabunt di-
 Carior est illis homo, quam sibi. **N**os animorum
 Impulsu et caeca magnaque cupidine ducti
 Coniugium petimus partumque uxoris: at illis
 Notum, qui pueri qualisque futura sit uxor.
 Ut tamen et poscas aliquid voveasque sacellis
 Exta et candiduli divina tomacula porci:
 Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
 Fortem possee animum, mortis terrore carentem,
 Qui spatium vitae extremum inter munera ponat
 Naturae, qui ferre queat quoscunque labores,
 Nesciat irasci, cupiat Nihil et potiores
 Herculis aerumnas credat saevoisque labores
 Et Venere et coenis et pluma Sardanapali.
 Monstro quod ipse tibi possis dare: semita certe
 Tranquillae per virtutem patet unica vitae.
 Nullum numen abest, si sit Prudentia: nos te,
 Nos facimus, Fortuna, deam coeloque locamus. Sat. X. 546.

Dii ergo expendant, acclamat poeta, quod nobis sit utile et commodum; secun-
 dum Socratis dictum, à diis nihil ultra pedentum esse, quam ut tribuerent bona, quia
 ii demum scirent, quid unicuique esset utile, nos autem plerumque id votis expetere,
 quod non impetrasse melius foret. Id tantummodo petendum est, ut sit mens sana in
 corpore sano. **I**dem Horatius:

Frui paratis et valido mihi,
 Latoe, dones, et, precor, integra
 Cum mente nec turpem senectam
 Degere nec cithara carentem.

Fortem ora animum et mortis terrore carentem, ut Virgilius eum felicem appellat, qui

Metus omnes et inexorable fatum

Subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari.

Item Cicero: Magnitudinis animi et fortitudinis proprium est, nihil extimescere,
 nihil, quod homini accidere possit, intolerandum putare. (Cic. de off. I. I.) Bene
 beateque vivere volenti (docet poeta) omnes animi cupiditates esse superandas, virtutem
 voluptatibus anteferendam. Ne aliorum implores auxilia, bonum animum tibi ipse dare
 potes. **S**imiliter Horatius:



Det vitam, det opes, aequum mi animum ipse parabo.

Egregie Isidorus: „Vis nunquam tristis esse, recte vive!“

X. Causa, qua Juvenalis ad scribendum excitabatur, erat taedium, quod homines creabant importuni et insani, qui scripta sua tunc ad vacunas recitabant aures; materiam dabant tempora, mores corrupti, per vulgata omnis generis flagitia, sed cautio nem suadebant maiora ex ira potentium pericula; tandem post Domitiani necem senex quidem sed iuvenili robore, virili autem indicio scripsit satiram primam, quae maxime ad tempora ac mores huins tyranni et Paridos histrionis spectat atque ab auctore post aliquot iam scripta et ad edendum parata primo loco posita est. In satira II. summa cum indignatione invehit in homines illustri loco natos, in senatores et quoslibet nobiles, proceres, ad quos sermonem convertit:

O proceres, censore opus est an haruspice nobis?

Hi enim existebant prima exempla corruptionis ac turpitudinis, ad quae deinde vulgus se componit ut poeta dicit ipse:

Dedit hanc contagio labem,

Et dabit in plures: sicut gress totus in agris

Unius scabie cadit et porragine porci;

Uvae contacta livorem dicit ab uva. S. II. 73.

Illi proceres Principis censorum supercilium aemulabantur, vultu et loquela magnam severitatem mentiebantur atque, dum se ipsi omnia vitia ingurgitabant, morum correctionem aggrediebantur. Quos Curios Camillosque personatos, qui quum obhoevissime viverent, dissimulata morum pravitate aliorum crima crebris accusationibus vexabant et correctionem morum flagitorumque punitionem aggrediebantur, ita insectabatur poeta:

Ultra Sauromatas fugere hinc libet et glacielem

Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,

Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt

Indocti primum.

Morum correctio enim ab optimo quoque suscipi addecet, ne in seeleratam auctoris conscientiam retorta prorsus hebescat. Pudorem, incorruptam fidem nudamque veritatem sanctissime colebat Juvenalis, advena veluti summe venerandus ex terra aliena. In eius satiris nihil invenies affectatum aut fucatum, adeo cuncta loquuntur animum verum et candidum, sua virtute amabilem. Vehementia, qua de vitiis hominum et flagitiis, more veterum, sine fuso scribit, propter veritatem sinceritatemque minus periculosa. Animo quidem benigno hilariisque, quo Horatius gaudebat, caruisse videtur. Scelus quodcumque insectans semper severi rigidique censoris partes agit et moribus depravatissimis extrema suggerit remedia. Natura aut ridendi facultatem denegasse illi



videtur, aut tempus et experientia omnem hilaritatem extinxerant. Animum eius cohito risu indignatio subit, deinde dolor altius pressus exardet in iram aestuantibus praecordiis et vitia hominum et flagitia ferro flammaque exagitantur. Scribebat scilicet seculo Caesarum flagitiis contaminatissimo, legibus una cum elisa magistratum voce evanidis Romanaque virtute sopore letali marcescente. Tiberium quippe iam ipsum tam projectae servientium civium patientiae taedebat, ut curia egrediens eloqui soleret: **O** homines ad servitutem paratos! Detestans atque abhorrens turpia faciebat versus, nequitiam ductus sensu commentatio. Venusinus ineptos carpit et stultos, Aquinas contra scelestos flagellat et flagitosos. Ingenui fatetur (sat. I. v. 22.) quare hoc potius libeat decurrere campo:

Quum tener uxorem ducat spado, Maevia Tuseum
Figat aprum et nuda teneat venabula mamma;
Patricios omnes opibus quum provocet unus,
Quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat;
Quum pars Niliacae plebis, quum verna Canopi
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,
Ventilet aestivum digitis sudantibus aurum,
Nec sussurre queat maioris pondera gemmae:
Difficile est satiram non scribere.

XI. Arte praecipua, veris et vividis coloribus expressit universam miseriam temporum. Homines flagitosos et spurcissimos, per summaq; naturae iniuriam more mulierum nubentes, lacerat; adulatores, adulteros, stupratores, coenas laufiores parantes, quam facultates ipsae ferebant, gulae indulgentissime obsequentes satiricis perstringit aculeis. Amicitias nobilium ditumque sequentes et vilissimis officiis eorum coenas captantes multo sale perfricat; mulierum libidinem, superbiam fastumque, procacitatem, mollitiem saevitiamque acerbitate insectatur satirica; maiorum gloria falsisve fortunae bonis elatos, cinaedos molles draucusque notat, exagitat atque liberiore stilo flagellat; testamentorum captatione locupletatos, parentes, qui erant in culpa, ut filii existent scelerati et ad plurima vitia proni, quia ipsorum exemplis tenerae mentes ad vitia formabantur, primores civitatis quosque, si qui erant digni notari, quod moechi aut sacerdii aut alioqui famosi, summa cum libertate corripit caeditque magister veteris disciplinae ac totius vitae humanae censor gravissimus. Deliri, amentes, inepti, stulti, capti nimio amore sui, stupidi, male faceti flagello sublimi indigni habentur. Horatius festivus, elegans, urbanus, viribus consulto temperat. Sermone opus est (dicit sat. I. 10, 11.) defendantem vicem

Interdum urbani, parentis viribus atque

Extenuantis eas consulto.

Juvenalis contra omnino nescit parcere leniterque agere, sed dolore et indignatione succensus corripit et castigat horribili flagello nequitiam impudentem; ense veluti stricto ardens infremit, ut rubeat lector, cui frigida mens est criminibus. Atrociter saeviens insequitur improbum scelestumque, donec mordaci velut ictum ferro inutile lignum procidat; caedit feritque, donec procumbat humi bos. Contra turpia Juvenalis Nemesis vehementissime accenditur, perfinaciter vitiis infensa fertur scelestosque comordet. Liberrima dictione temporum flagitia castigat, excandescit et ingulat, quia eius animo virtutem summi aestimanti insita est indignatio quaedam amarulenta, qua invehitur in quodeunque indignum et turpe; nec cuiquam parcit, nec principibus scelestis nec illis, qui sunt gratissimi eorumque consiliorum participes. Acerrimus spiritus ac maxima vis et verbis et rebus inest. Solutos hominum risus non captat; verax aperit praecordia, qui parce, frugaliter atque contentus vivit eo, quod dii benigni derunt. Mores à veteribus traditos conservat, vitam famamque tuetur incolumes, inhonesta et turpia factu maxime abominatur. Horatius Romanos voraces carpit aut ad summum Curiis parcis Fabriciisque aevi melioris et simplicioris opponit, Juvenalis contra censoris rigidi munere fungens omnibus gulosis apertum indicit bellum. Sabellus non raro salis satirici obliviaetur, colloquens disputat docetque, Aquinas, cuius ingenium rapido amne ferventius, insita vehementia correptus via semel inita progreditur à proposito ne tantillum quidem aberrans. Diu considerare, quiete docere non est huius animi irritati atque fervidi, qui rapitur vehementi ardore discutiendi marcorem illum somniculosum, qui Romanorum animos opprimebat. Rarius quidem reperies in eius saliris praecepta tam praeclara atque tam pulera et sententias adeo multas quam in Horatii sermonibus; sed crebritate sententiaram et urbanitate à Venusino quamvis superatus hunc reprehensionis acrimonia et tragicae magniloquentiae cothurno longe praecurrat. Inter omnes scriptores satiricos seu antiquissimi seu novissimi temporis nullum invenies, à quo vi et brevitate generose loquendi supéretur. Nec ullum verbum addas, adeo acute, rotunde divinitusque dicta sunt. Quam vere et ad vivum expressus describitur graeculus ille levipes, qui ad omnia sollers et promptus voce tenui et stridula, premente rerum egestate, omnium rerum scientiam profitetur:

Ingenium velox, audacia perdita, sermo

Promtus et Isaco torrentior. Ede, quid illum

Esse putas? quem vis hominem, secum attulit ad nos:

Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, alipites,

Augur, schoenobates, medicus, magus: omnia novit.

Graeculus esuriens in coelum, iusseris, ibit. (S. III. 75.)

Quanta vi, quam graviter ac severe insectatur illos, qui simulabant se ea esse continentia et bonitate, qua fuit Curius Dentatus, et horrenda dictu perpetrabant. Co-

lore quam vivido describitur uxor, gloria maiorum et antiquitate generis insolens et superba: (S. VI. 160)

Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?

Sit formosa, decens, dives, fecunda, vetustos

Porticibus disponat avos, intactior omni

Crinibus effusis bellum dirimente Sabina,

Rara avis in terris nigroque simillima cygno.

Nec minus ingeniose repraesentatur velut in tabella uxor docta (*αισθητικὴ γραῦς*), quae in coenis disputat de Homero et Virgilio atque praecones causidicosque clamosos vocis strepitu antecellit docens sapientis more, quid sit honestum, quid sit utile, quid pulerum.

Illa tamen gravior, quae quum discubere coepit,

Laudat Virgilium, periturae ignoscit Elisae,

Committit vates et comparat; inde Maronem

Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.

Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis

Turba tacet: nec causidicus, nec praeco loquatur,

Altera nec mulier: verborum tanta cadit vis;

Tot pelves, tot tintinnabula dicas

Pulsari. (S. VI. 454.)

Eadem vi eademque veritate insignes sunt omnes eius descriptiones, quameunque satiram evolvas, quare versus praeclari memoria tenentur aequa bene ac Horatii dicta optima et sententiae morales, nec minus frequenter recitantur.

XII. Poeta in eo saepe reprehenditur, quod in satiris viam semel correptam continuo perseguatur, ne minimum quidem aberrans. „Dissuasurus (dicunt) Ursidio Postumo, ne ducat uxorem, ex ordine enumerat omnia generis feminei vitia, alia horrenda, alia ridicula. In satira X, qua insectatur stulta mortalium vota, divitiae, potentia, honores, eloquentia, summa bellorum fama et sic alia plura insto ordine, universa sententia prius proposita, aliud ex alio evolvuntur. Rerum connexum nullo videbis negotio, carebis autem multo praeclariori elegantia, qua Horatii lector mirum delectatur.“ Juvenalis satirae, respondeo, non sunt liberae eo memento, quod ars oratoria ad poein eius satiricam habuit. Sed quid refert? Ovidius et Juvenalis arti oratoriae diligentissime incumbebant, quo factum est, ut linguae peritissimi et magna et admirabili describendi arte perinsignes evaderent. Juvenalis universam sententiam prius proponit, deinde singula exempla, aliud ex alio, evolvit, quid hoc, si carmen iusto ordine compositum et bonum egregiumque esse potest? Indignatio eius satiris colorem induxit. Poeta severus non modoque Venusini hilaris satiris acerrimis facetias immiscet et

iocos, sed verborum vi et dexteritate, qua vitia ardentibus coloribus adumbrat, confusus caetera poeseos adiumenta spenit. Ne multa, satirae sermonis elegantia politissimae et pulcherrimae sunt, versus dignitatis pleni, generosi, graves. — Quibus dictis de utroque poeta iudicium ferendum est hoc: **Horatius**, cuius satirae generis comicci, observator felix, lepore et salibus abundans, acute ingenioseque scribit; tangit vitia atque irridet, monet saepius quam castigat, ita paeclare tamen, ut in ea parte nihil possit supra eum; placide et leniter influit in animos. **Juvenalis** vero satirae sunt generis tragiici comicco mixti; acute, salse amarulenteque notat; ardet, instat, ingulat; desperditos seculi mores perstringit; incurrit in sceleratos, prosternit, conculcat, quasi crudus et nauseans indignatur omnia. „Si natura negat, facit indignatio versum.“ Vir ingenii vere Romani, in describendis suis temporibus artifex paeclarus, **Catonis** gravis ad exemplum cum moribus corruptis bellum gerit. Uni aequus virtuti et eius amicis naturam ducem sequitur, virtutem pro summo numine habet fucum et imposturas detestans. Dares ei alium ducem, illum scilicet veritatis auctorem ipsiusque naturae dominum, coelestissimi viri imaginem absolvisset.
